

1478 ciendos, & ad cibaria coquenda, nullo fere alio lignorum genere quam sagittarum fasciculis oppidanos fuisse usos. Adjiciunt, mediis certaminibus, quum diri clamores & tormentorum iactus fœdissima tonitrua imitati, undique circumsonarent, milleque mortis discrimina obversarentur oculis, tanto ardore & ab iis qui in urbe erant, & illis qui munitiones subibant, pugnatum, ut nihil minus animis succurreret, quam mortis aut vita discrimen. Conterebantur mole aliqua hostium catervæ: intrepide per suorum cadaveria subibant aliæ: mox, his extinctis, aliæ atque aliæ in pugnam succedebant. Plenæ jam cadaveribus erant fossæ, plena montis declivia; & quamvis multi caderent, multi quoque subibant. Scodrenses & ipsi neque vulnera neque mortem formidantes, quanquam suorum corpora tormentorum iactibus laniari cernerent, ac variis casibus non uno loco cadere, periculorum tamen omnium immemores, invicto animo resistunt, barbarosque munitionibus hærentes fortiter detrudunt. Demum victa Othomani pertinacia, admonentibusque Imperatorem ipsum quibusdam, frustra tot virorum fortium millia in apertum discrimen mortis demitti; cum eo hoste sibi rem esse, qui certus sit, malle mori, quam cedere; quique natura loci fretus, citius vel innumeratas catervas confidere possit, quam vinci: tum ille frendens gemensque suos in castra revocari jussit, prorsusque jam inde pugna abstinuit: perseveravit nihilominus oppidum machinis aliisque operibus bellicis vexare.

Sed dum Scodrenses gravi urgebat obsidione, haud Italiæ oblitus, ingentem suorum manum in ipsam terram, quo minus Veneti suos ullis possent levare auxiliis, dimisit: qui eo sane die, quo priore oppugnatione Scodram adortus est, circa Sontiacas munitiones tumultuose confondere: tum hic explicata acie, Carolum ad pugnam evocare. Ille recentis cladis memoria nihil temere ausus est committere; sed suos, intra vallum structa acie, quasi mox per occasionem erupturus, continens, barbarum ad altum diem longa expectatione fatigavit. Verum quum satis appareret, Venetum ad pugnam elici non posse, profectus inde

Turci in
Italiam
erumpunt.